

Præsertim si vel sub copiosa materia albæ, mucosæ s. hæmorrhoidum albarum excretionem, ad exitum tandem perveniant: aut a spasticis spincteris vesicæ, reliquarumque fibrarum vesicalium contractionibus, tam atrocia & exquisita, in vesicæ pubisque regione, tormina, cum plenaria urinæ suppressione, suscitantur. Quæ incautum aut in penitiori morborum diagnosi, minus versatum, in suspicionem calculi vesicæ præsentis, erroneam tamen facile seducunt. De quibus iterum unum vel alterum, ab alio mihi relatum, adducere possem exemplum, nisi prolixitatem ahorrerem. De utroque tamen reticere nequeo; priorem ægrum fuisse hæmorrhoidarium, crebro a prædictis exquisitis vesicæ doloribus, cum plenaria urinæ suppressione aliquoties conjuncta, adeo excruciatum; ut sectionem calculi ab incauto Lithotomo commendatam etiam admisisset, nisi hæc a Medico, in diagnosi calculi magis fundato, dissuasa, cruciatus vero hi, ab hæmorrhoidibus non succedentibus, manifesto provenientes, convenienti ad has directa medela, plenarie sublatis fuissent. Posteriores fuisse honestum itidem hæmorrhoidarium ob prædictas spasticas constrictiones, dysuriam, copiosamque materiae albæ mucosæ excretionem frequentem, a Chirurgo, in diagnosi talium morborum plane rudi, in suspicionem gonorrhæe virulentæ, morbique venerei redactum; sed a medico in consilium adhibito, ab his calumniis vindicatum. In utroque enim casu calculi nec vesicæ, nec gonorrhæe, nec mali venerei signa vera, consueta, penitiorum facta disquisitione detegi potuerunt, multo minus salivatio mercurialis, a stupido Chirurgo in ultimo casu jam instituta, ullum auxilium, potius damnum intulit.

§. XV.

Cum autem præcipua officii Medici pars sit sanitatem hominis salvam servare, morbis vero labefactatam, quan-

quan-